DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
IN CURATIONE BUBONUM SYPHILITICORUM RESOLUTIONEM SEMPER SUPPURATIONI ESSE PRAEFERENDAM

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT
SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORES RITE ADIPISCATUR
DIE XI. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXX
H. L. Q. S.
PALAM DEFENDET
AUCTOR

IOAN. CAROL. EDUAR. SAMEL
BEROLINENSIS

OPPONENTIBUS
E. COHEN MED. DR. I. BETSCHLER ET E. SOMMER
MEDICINAE DOCTORANDIS NEC NON INSTITUTI MEDICO CHIRURGICI FRIDERICO-GUILELMIANI PRAEFECTIS.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

FAUTORIBUS SUMME COLENDIS

NEC NON

AMICIS SUAVISSIMIS, HASCE LITTERARUM

PRIMITIAS PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Uti moris est, pro doctoris medicinae et chirurgiae gradu rite capessendo, dissertationem inauguralem conscribere suscepi; ab aliis iam iterum atque iterum perlustrata, denuo repetere nolui, materiam itaque elegi, de qua ex propria experientia, nonnulla saltem, in medium proferre valeo, materiam de qua diversae adhuc vigent opiniones, quam ob rem accuratissima indagatione digna videtur.

Non me latet, istam meam opinionem perexigui tantum fore momenti,

tamen ad rem tam gravem dirimendam, pro viribus quidquam conferre optavi.

Ea quae ex observationibus nonnullis collegi, probe reddidi, lectorisque benevolentiam ac indulgentiam exorans, publico eruditorum examini submitto.

Auctor.

§. 1.

Permulti corporis humani morbi restant, de quorum optima tutissimaque curatione, adhuc in ambiguo haeremus, quod etiam bubonibus venereis contingit, morbo, de cuius therapia, apud medicos adhuc semper diversae vigent opiniones; alteri nempe resolutionem bubonum, alteri suppurationem praeferunt, rationibusque, infra accuratius enumerandis, innituntur.

Mihi in animo est, hisce pagellis exponere, in curatione bubonum syphiliticorum, resolutionem semper suppurationius praeferendam, ideoque principio semper optandam et tentandam esse; nequaquam vero hoc dicto statutum sit, quemvis bubonem esse resolvendum, quia nimis arcte naturam cogere haud licet.

Prae ceteris iuvabit, morbi imaginem brevibus depingere, quia singulae eius species, pro se quaeque diversa egent curationis methodo, imo

peculiari gaudent indole ex qua gravissima propullulant momenta, viam nobis indicantia, qua resolutio ipsa perficienda est. Aliis enim utimur remediis ad bubonem phlegmonosum resolvendum, aliis ad erysipelatosum, neque iisdem, ad scirrhosum.

§. II.

Nomine bubonum syphiliticorum comprehendimus intumescentias partium glandulosarum, interdum etiam telae cellulosae, contagio venereo excitatas, plerumque in regione inguinali, interdum in axillis, et apud mulieres, in labiis vulvae maioribus reperiuntur, interdum inflammatoriae, interdum etiam torpidae sunt, interdum febris universalis eas comitatur, interdum etiam sine ista apparent. Nascuntur aut proxime post immundum coitum, qui vero casus rarissime accidit, aut aliis malis venereis succedunt.

Primum aeger molestam sentit intentionem in regione ligamenti Poupartii, quae mox augetur; locali percontatione diligenter instituta, una pluresve glandularum inguinalium tumefactae sese ostendunt, principio nec valde inflammatae, neque contactum aegre ferentes. Consueto tumor velociter increscit, quod tamen etiam tarde fieri potest; saepe cum tumore etiam inflammatio, proclivitas ad suppurationem et dolor augentur,

saepe etiam tumor frigidus, parumque dolens manet. Plurimum glandula affecta, summum attigit volumen, haud amplius dum mobilis est, aegrumque, quominus erectus stet, impedit, dolor tunc ei similis est, qui nasceretur, si inde a spina iliaca anteriore usque ad genitalia chorda esset acriter intenta. Pendet ex peculiari indole bubonis aeque ac constitutione aegrotantis, an febris universalis adsit, an desit.

Formae specifice inter se differentes, sub quibus bubones occurrunt, infra uberius sunt describendae.

§. III.

Cum permulta alia pathemata formâ similia in iisdem regionibus, quam bubones venerei, haud raro inveniantur, haud omittendum erit, signa eorum distinguentia enucleare. Facile erit discrimen, si ante bubonem alia iamiam pathemata venerea palam in medium prodierunt, verbi causa ulcera genitalium; tum vero praecipue in incertitudinem inducimur, cum talia symptomata antea non adfuerunt, maximaque opus est circumspectione, ne ex falsa diagnosi malum nobis prodeat.

Materia scrophulosa saepissime tumores glandularum inguinalium et axillarium provocat, quos ut a bubonibus venereis bene distinguamus, prae-

gressa praecipue nobis exactissime sunt exploranda, caeteraque peculiaria scrophuloseos signa, quae pathologia nos docet, haud negligenda.

Interdum etiam deficiente causa venerea tam quam scrophulosa, glandulae de quibus hic agitur, imprimis vero inguinales, intumescunt, speciemque bubonum simulant; quod plerumque flagrante aestu, post itinera laboresque fatigantes, in universum post vehementes corporis exercitationes, in hominibus iuventute et robore gaudentibus accidit. Id genus tumorum cereos nuncupaverunt, mox et facillime resolvitur, nullum fere dolorem excitat, cito nascitur, nec aegre dignoscitur, nisi attentum aegrotantis examen omiseris.

Herniae quoque inguinales et crurales hic notandae veniunt, quae tamen eo a bubonibus differunt, quod plerumque subito et post vehementem corporis agitationem nascantur, modo dispareant, citoque redeuunt, tussiendo, ridendo, clamando augeantur et moveantur, quod ad inflammationem et suppurationem proclives non sint, reponi possint, eo etiam denique, quod cumherniis consueto indispositiones primarum viarum, v. c. obstructio, diarrhoea, vomitus, iunctae sint, quae bubones non comitantur.

Lupiae etiam aliique tumores rarius occurrentes, easque regiones obsidentes, quae bubonibus obnoxiae sunt, interdum similitudine qua-

dam in errorem nos vocare valent; ideoque anamneseos diligentissima indagatio nunquam negligenda, nec minus ex symptomatibus praesentibus conditionibus datis et ex constitutione aegri lucem quaerere debemus.

In universum cautio iubet, tumorem, bubonis speciem prae se ferentem, cuius indoles praeter explorandi operam datam in ambiguo remanet, tamquam venereum habere eumque internis mercurialibus tractare, quae nunquam grave detrimentum inferunt, etiamsi supervacanea forent.

§. IV.

Pro peculiari indole et charactere, inter bubones divisio est instituenda, ex qua respectu specialium curandi methodorum, haud mediocrem utilitatem promanare videmus.

Distinguuntur,

1) Bubo phlegmonodes, mere inflammatorius, rubore saturato, dolore simul pulsante, pungente, urente, vehementissimo insignis. Cutis intenta, splendens digitorum prementium vestigia non servat, aegreque distensionem ferens, aegrum impedit quominus erectus ingrediatur. In tumore haud mediocriter auctus adparet calor, quem tam aeger sentit, quam medicus contactu animadvertit; pulsus frequentia et impetus topice increverunt, universalis febricula interdum

adest, quae tum facillime oritur, cum aeger plethoricus est, aut gastricis, biliosisve sordibus laborat.

Bubo phlegmonodes nomine circumscripto praeditur, si solummodo glandula lymphatica inflammatione correpta, tumorem subrotundum format; diffusus vocatur si non solum glandula, sed etiam tela cellulosa circumdata inflammatae dolent, quod si accidit, rubor interdum ad os ileum usque propagatur.

Depicta bubonum species plerumque iuvenes aggreditur robustos et plethoricos, antea nondum malo venereo adfectos, nec usum mercurii aliorumque debilitantium diu expertos, temperamento cholericos, aut sanguineo-cholericos, capillis nigros et cute fuscos. Haec tamen regula ut sorores, exceptionibus valde obnoxia; phlegmonodes iste bubo alias etiam constitutiones haud praeterit, aut fortuito invadit, aut quibusdam conditionibus externis allicitus. Vehementes corporis exercitationes ut equitatio. saltatio, cursus, bubonem, quo debilis quidam adfectus laborat, eiusmodi incitare valent ut characterem modo descriptum colligat. Pari modo excessus in Baccho et Cerere, abusus potuum ciborumque irritantium buboni cuivi nascenti characterem phlegmonosum tribuere potest; neque minorem constitutio annua exercet vim, acre frigus inprimis, euroaquilone

regnante, aeque ac flagrans aestus indoli faveni inflammatoriae.

Vehementior quam omnibus reliquis speciebus; ad suppurationem proclivitas bubonibus phlegmonosis inest, utpote quae citius etiam, vehementiusque irrumpit. Huiusmodi bubo, vehementissime inflammatus, facillime etiam gangraena corripitur, irritans regimen praecipue, aër pestilens, corruptus, nimiusque calor externus hoc malum adducunt, febris aut contagium typhodes aegrum invadens, haud minus gangraenam provocare pollent.

Gangraenam interdum sequitur mors, laesis nobilibus organis prope sitis, ocyus serius finem rei imponens, nisi iusto tempore gangraenae ulterior propagatio impeditur.

2) Bubo erysipelatodes est inflammatio, quae plerumque glandulam inguinalem, telam cellulosam circumdatam imo et cutem comprehendit. Cutis splendens et intenta apparet, rubor non tam satiatus est, quam in bubonibus phlegmonosis, interdum flavi aliquantulum ei immixtum est; tumor latius diffusus, subdurus, impressiones digitorum per aliquantulum temporis servat. Calor etsi auctus, eum tamen non exaequat, quem in bubonibus phlegmonosis animadvertere licet, dolor arctans est urens et

formicans, non tamen intolerabili modo aegrum cruciat.

Bubo erysipelatodes interdum ruborem magis satiatum aut coeruleum colorem capit, quod mali ominis signum; pessimum vero, si livido induitur colore.

Communis irritatio febrilis hanc etiam bubonum speciem nonnunquam comitatur, principio plerumque indole gaudet inflammatoria, saepe quoque aliam quamque manifestans; tum praecipue febris facillime accedit, cum aut gastricae vel biliosae complicationes in promtu sunt, aut febres nervosae vel putridae late grassantur.

Aggreditur haec species bubonum praecipue homines debiles et irritabiles, temperamento sanguineos, omnino quidem valentes, sed molles, facile movendos, cuticula alba, tenui, oculis caesiis praeditos, capillis flavos aut rufos. Quae tamen regula permultis coarctatur exceptionibus, prout status rerum et conditiones cuiusvis individui id ferunt.

Bubo erysipelatodes, non tam, quam phlegmonodes ad suppurationem proclivis, rarissime in eam transit; si vero suppuratio intravit, tum etiam valde maligna, pertinax et periculosa saevit. Plura consueto puncta in superficie bubonis exulcerantur, quae rapide increscunt ulceraque maligna fistulis ac marginibus callosis instructa formant.

Paulo fortior est proclivitas ad gangraenam, ut pote quae tum praecipue subsequitur, cum aeger debilis, male nutritus, cachecticus aut contagio quodam putrido adfectus est. Etiamsi homines talibus bubonibus adfecti solummodo in eodem cubiculo cum aegrotis typhosis versantur, facillime gangraena corripiuntur. Pari modo vita lauta, excessus in Baccho et Cerere, vehementes corporis exercitationes gangraenam, alliciunt, quae etiam magna ex parte constitutioni annuae obedit, aestui flagranti maxime amica. Bubone eresypelatoso resoluto, desquamatio cutis nonnunquam observatur, quod vero non semper accidere solet; nuper in puella vidi, cui in utroque latere huiusmodi bubo exstiterat.

Iam supra commemoratum est, in bubonibus phlegmonosis tam quam erysipelatosis, resolutionem suppurationem et gangranam exitus esse usitatissimos; adhuc notandum venit, interdum glandulam indurescere et indurationem chronicam remanere.

3) Bubo oedematosus, tumor frigidus, inflatus, mollis, diffusus, post contactum vestigia digitorum diu servans, parum inflammatus et ruber, nec valde dolens, glandulam tam, quam praecipue telam cellulosam circumdatam attinet. Febris inflammatoria universalis rarissime tantum bubonem oedematosum comitatur, saepius hectica

aut asthenica apparet, non ex bubone solummodo pendens sed ex constitutione aegri, infra uberius describenda, et ex conditionibus malis in universum, propullulans; plurimum aeger febre vacat.

Eiusmodi bubones saepissime reperimus apud homines leucophlegmaticos, contabefactos et debiles, aut praegressis morbis, aut excessubus enerves, aut iamdudum miasma venereum secum trahentes, usum mercurii et salivationem iam saepius expertos.

Proclivitas ad suppurationem et gangraenam in bubonibus oedematosis non tanta est, quantam in phlegmonosis cognovimus, rarius hi exitus observantur; nisi resolutio perfici potest, nonnunquam induratio sequitur. Oedematodes bubo, si aut sponte, aut ope maturantium intempestive administratorum, in suppurationem transit, ulcus malignum et longe patens, cuius sanatio difficillima est valde diuturna, exinde originem trahit.

In universum decursus huiusmodi bubonum tardus est, tam, si ad resolutionem, quam si ad suppurationem vergunt.

4) Bubo scirrhosus oedematoso persimilis, ex eo saepissime prodiens induratio est, solummodo glandulam attinens, ut pote quae tumefacta, paullulum inflammata, principio mobilis et aequalis, postea interdum immobilis, inaequa-

lis, tuberculosa evadit. Dolor in universum haud eximius, periodicus, velociter pungens, rubor exiguus est, interdum omnino deficit. Cutis nec splendens nec intenta, calor non valde auctus animadvertitur.

Haud magna est ad suppurationem proclivitas, quam appropinquare suspicamur, si tumor colore ruber, coeruleus aut furvidus fit et vasa sanguifera uti iniecta apparent, rubore valde saturato distincta; eodem temporis spatio etiam cutis valde intenditur doloresque, nunc magis perseverantes, pulsare solent et tantopere, ut vix tolerari possint, augeri.

Post aperitionem bubonis scirrhosi, ulcera oriuntur plerumque corrodentia, phagedaenica, quorum fundus inaequalis est et immundus, quorum margines revoluti apparent et callosi. Indoles carcinomatosa haud raro excolitur.

Resolutio perfecta raro evenit, postquam enim exigua et aegre perceptibilis inflammatio evanuit, intumescentia consueto immutata manet, aut paullulum solummodo decrescit, saepe in chronicam transit indurationem, quae, ceteris symptomatibus luis venereae, usu mercurii interno remotis, porro durat.

Eadem constitutio quae oedematosis, ea etiam scirrhosis manum porrigit bubonibus, praecipue sihabitus scrophulosus, stagnationes humorum et

status atrabilares accedunt. Humida quoque et frigida tempestas, aer correptus, domicilia sordida, arcta, cibi crudi, graves, parum nutrientes haud parvi sunt momenti ubi de causis, bubones scirrhosos procreantibus, agitur. Febris lenta nonnunquam accedit.

Nemo nescit, diversas hasce species non semper ad amussin tales apparere, quales hic depictae sunt, tamen singulae a norma aberrationes, propter magnam varietatem, hic uberius describi nequeunt.

Interdum plures singularum formarum, quas commemoravimus, in uno eodemque bubone coeunt, v. c. erysipelatosa et oedematosa; pari modo diversi gradus morbi, singulis speciebus descriptis interpositi sese offerunt, dubiamque reddunt diagnosin.

In universum haec divisio tum solummodo utilitati erit, cum curandi methodus in singulis speciebus, generali principio, cui singula quaeque forma similis est, conformatur.

§. V.

Communis causa bubonum syphiliticorum est contagium venereum, immundo coitu, aut alio modo, corpori illatum. Quae tamen communis causa, pro tempore ac ordine symptomatum apparentium, bifidam admittit divisionem, ubi nem-

pe bubones uti primum infectionis signum existunt, protopathici audiunt, ubi vero alia pathemata sequuntur, deuteropathici nuncupantur.

Huc insuper bubones consensuales accedunt, ex irritatione consentanea originem trahentes. Licet, ista divisio non proxime ad ipsum pertineat morbum, tamen respectu pathologiae rationalis et prae ceteris therapiae, haud modiocris momenti habenda videtur.

1) Bubones consensuales aut sympathici, ii vocantur, qui post vehementem irritationem partium genitalium per consensum oriuntur; nonnullis etiam symptomatici audiunt, utpote quae denominatio, ad designandos bubones deuteropathicos, qui tanquam symptoma luis oriuntur, magis congrua mihi videtur.

Gonorrhoeae vehementes et exulcerationes, quae in decursu, ope materiae corrodentis gonorrhoicae, in glande et praeputio nascuntur, praecipua sunt irritamenta, genitalibus damnum inferentia; imo iniectiones urethram incitantes, irritans et caustica exulcerationum curatio, corpora aliena, urethrae inhaerentia, chemica vi aut mechanica, peccantia, vulnera quoque urethrae, siphonis apice, aut alio modo illata, hic nominanda veniunt.

Permagni etiam sunt momenti omnia illa, quae urethritidem aut topice supprimere valent, aut universum corpus ita adficiunt ut gnorrhoea

repente deficiat; abusus denique Veneris, Cereris et Bacchi, gonorrhoea laborantibus saepissime bubonem consensualem peperit, quod de corporis exercitatione nimia etiam, iure dici potest.

Sunt quoque, qui magna ulcera glandis aut praeputii hic enumerent, ubi vero locali damno malum venereum sese manifestat, ibi quivis bubo exsistens, deuteropathicus et mere venereus est habendus; ita et plurimum curatur, mercurius enim interne adhibitus, simul cum ulcere bubonem sanat.

Ea etiam quae auctores de urethritide tulerunt syphilitica, diagnosin dubiam reddere videntur, bubo enim simul cum urethritide aut brevi post eam apparens, consensualis foret habendus, si urethritis benigna esset, venereus autem, deuteropathicus, si veneream comitaretur urethritidem. Ad amussin demonstrari nequit urethritidem syphiliticam veram, id est secretionem muci venerei ex integra urethrae superficie, existere; verisimillimum contra videtur, eum statum, qui auctoribus urethritis syphilitica audit, ab ulceribus syphiliticis urethrae originem ducere. Urethritidem syphiliticam ergo, ope materiae puriformis quae effluit, et eo potissimum a benigna distinguimus, quod in ea semper unus pluresve loci urethrae, prae ceteris, doloribus fixis obsidentur, dum in urethritide benigna tota urethra uno eodemque doloris gradu cruciatur.

Urethritidem benignam cum venerea complicari posse, nemo negabit. Eadem ratio est, fluorem album benignum inter et venereum. Bubonem consensualem verum, i. e. qui propter gonorrhoeam benignam ortus est, venereae indolis plane expertem esse elucet; ubicunque vero miasmatis venerei praesentiam suspicamur, tutissimi evademus, si morbo illo mercurii ope medemur.

Bubones consensuales plerumque parvi, mobiles et parum inflammati sunt, minime dolent et facile resolvuntur, quia inter omnes minime ad suppurationem proclives sunt, secundum formam et naturam, plerumque ad phlegmonosos circumscriptos pertinent, exiguo autem tantummodo inflammationis gradu gaudent, ceterum aliae quoque specierum, supra descriptarum, similes esse possunt, prout constitutio aegri et reliquae iubent conditiones.

II. Bubones primarii, primitivi, protopathici ii sunt, qui post immundum coitum, vel aliam quamvis infectionem, proxime, nulloque alio pathemate venereo praegresso, oriuntur. Indolem veneream neutiquam abnegare possunt, ex ipsa insorptione contagii syphilitici prodeuntes, quapropter etiam a consensualibus valde differunt.

Raro inveniuntur, quia raro contagium venereum tam mite aut pars in quam vim exercet tam incapax est, ut resorptio sine erosione topica

fieri possit. Nonnunquam tamen contagium, nulla corrosione topica excitata, resorbetur, vasisque lymphaticis ad glandulam usque vehitur, ibique tumorem et inflammationem provocat. Talis bubo an malum topicum sit et quamdiu maneat, nemo ane ad amussin probare poterit, contra verisimillimum est, et ultra contagium propagari, nisi enim mercurium porrigas, lues universalis etiam durante exactissima curatione topica excolitur. Exinde mihi haud congruum videtur hancce bubonum speciem nomine idiopathicorum condonare, ni fortasse eo vocabulo a consensualibus discernere velis, tum vero etiam bubones deuteropathicos eo nomine insignire deberes.

Hoc genus bubonum sub quaque formarum supra commemoratarum apparet, saepe phlegmonosa indole gaudet, non sponte resolvitur sed accuratissima eget curatione ut a suppuratione tueatur.

III. Bubones secundarii, deuteropathici, consecutivi vel symptomatici post alia pathemata venerea nascuntur, v. c. ulcera genitalium et faucium condylomata, exanthemata, maculas est, *) igitur uti symptomata luis universalis, maioris vel minoris gradus iure aestumantur.

*) Occasio data est, virum videndi, qui spilosi syphilitica laborans, insuper bubone adfectus est, absque ulla novae infectionis suspicione.

Bubones deuteropathici, si brevi post ulcera penis apparent, a nonnullis adhuc mala topica habentur, quod vero minime probandum. Perbreve enim tempus necesse est, ad contagium venereum per totum corpus distribuendum, viginti quatuor horae abunde sufficiunt, uti aliorum insorptionum exemplum nos docet. Ipsum ulcus secundum nonnullorum praecepta tamdiu solummodo malum topicum est, quam pustulae servat, aut vesiculae formam, neque apertum hiat. Talis vesicula absque ullo totius organismi detrimento, causticis deletur, simulque malum venereum eradicatum perit, licet cauterisatio proxime post ortam vesiculam et satis forte adhibeatur, nisi vero pustula satis cito nec usque ad intimum deletur fundum, lues venerea tamen erumpit. Mihi tamen haecce curandi methodus nimis incerta videtur et periculosa.

Si vero exulceratio iamiam adest, haec quidem plerumque causticorum administratione sanatur, quia in ipsa contagium plane deletum est; semper vero alia pathemata syphilitica insequuntur v. c. ulcera faucium, condylomata, bubones etc. qua re probatur, etiam minimo ulcere praesente, miasma venereum iam in sanguinem esse translatum.

Negari non potest, cauterisationem ulcerum, quam plures medici exercent, interdum nulla alia

pathemata sequi, tum vero aut mercurii usus obstetit, aut venenum per longum tempus in corpore sepultum latet, ut occasione data eo vehementius erumpat. Huius rei exempla frequentissime occurrunt, iisque docemur, per viginti annos, et quod excedit, contagium syphiliticum interdum in corpore quiescere.

Crediderunt quidam, bubones deuteropathicos quasi metastasin esse, vi medicatrice naturae excitatam, ad malum venereum sanandum, exinde etiam metastaticorum bubonum denominatio emanavit; cui vero hypothesi experientia obstat, utpote quae innumeris exemplis nos docuit, malum venereum nunquam sola vi medicatrice naturae elimitari, sed contra in dies increscere et denique mortem adducere, nisi medicaminum ope, ulterior impeditur propagatio.

Vix, ac ne vix quidem statui potest, quanam forma induti bubones deuteropathici appareant, utpote qui sub quaque descriptarum obveniunt, prout conditiones id ferunt.

Quo diutius iam aeger laborat, eo maligniores sunt bubones, eo pertinaciores persistunt, eo citius suppuratione corripiuntur, quae plerumque saniosa et maligna vires aegrotantis valde exhaurit.

§. VI.

Adhuc statuendum restat cuinam classi adscribendus sit bubo, simul cum ulcere genitalium

ortus, ita ut nec ulcus nec bubo prius adfuerit. Consensualem dicere nequimus, quia simul cum ulcere ortus est, nec ulcus per consensum bubonem efficere valet, neque etiam ad secundarios pertinet, quia tam quam ulcus ipsum proximus est infectionis effectus; iure igitur protopathicus vocabitur.

Etiamsi cum gonorrhoea et ulcere simul bubo ortus esset, dubitare possemus, an consensualis, an protopathicus sit habendus, cautio tamen iubet venereum haberi, itaque curari. Nec facile quis hancce contra regulam peccabit, ulcus enim mercurii usum exposcit, quo bubonem semper resolvimus.

§. VII.

Quamdiu bubones in universum durent haud certo statui potest, pendet enim eorum decursus ex peculiari conformatione conditionum, quibus aeger circumdatus est, praeterea quoque multa momenta accidentalia vim exserunt aut accelerantem, aut retardantem.

Maximi vero momenti videtur bubonis ipsius indoles et locus quem inter alia symptomata morbi tenet.

Bubones consensuales plerumque brevissimo gaudent decursu, saepe trium dierum spatium haud excedunt, si vero suppuratione corripiuntur,

quod rarissime accidit, per longum tempus aegrum cruciare valent.

Bubones primarios magnam ad suppurationem proclivitatem profiteri, periculum nos docuit, ubi vero in eam transierunt, plures menses ad sanationem perficiendam exposcunt; multo citius resolvuntur, nec tum duas tresve hebdomades ultra durant.

Bubones secundarii plerumque diutissime durant, tum praecipue, cum aeger iam diu malum syphiliticum secum traxit, cachecticus est, viribusque caret. Sine detrimento aegri resolvi queunt, resolutio tamen haud cito perficitur, aeque ac suppuratio longum percurrit stadium.

Nonnunquam sponte resolvuntur, et miasma, quod in iis depositum fuerat in aliam partem transfertur, ut ibi alia sub forma efflorescat.

Quod ad decursum attinet quem singulae bubonum formae supra iamiam commemoratae promittunt, in universum periculo edocti sumus, bubones phlegmonosos, tam si resolvuntur quam si maturantur, citius quam reliquas species terminum perfectae sanationis attingere, nisi impedimenta accidentalia obstant. Praecipue ubi ad suppurationem perventum est, interdum valde diuturna fit curatio, nam evanescente charactere phlegmonoso, acuto, saepe in ulcera chronica transformantur bu-

bones suppurantes quae per longum tempus efficacissimis remediis frustra oppugnamus.

Bubones erysipelatosi ritissime plerumque resolvuntur, si vero in suppurationem transierunt ea pertinacissima est et valde diuturna.

Bubones oedematosi et scirrhosi plerumque valde lentum patiuntur decursum, resolutio enim secundum eorum naturam non nisi tarda evenire potest, si vero in suppurationem transiere, ulcera maligna et valde diuturna inde originem capiunt.

In universum bubones apud homines cachecticos, debiles, corruptis humoribus praeditos, multo difficilius sanantur, quam apud eos, qui adhuc iuvenes, valentes prius, et nunc primum morbo venereo adfecti sunt.

Praeter haec adhuc nonnullae conditiones externae nominandae veniunt, quae in decursum bubonum syphiliticorum haud mediocrem exserunt vim, aut resolutionem retardantes, aut suppurationem, ubi iamiam adest, alentes.

1) Miasmata aliorum morborum corpori illata, eo nocent, quod morbum ipsum in peius vertant et quod saepissime curationem antisyphiliticam interrumpant, usumque mercurii contraindicent.

2) Aër pestilens et corruptus, aut halitu graviter aegrotantium, aut vaporibus rerum putridarum scatens, cubicula quoque humida et

frigida, versum septentriones sita, aëre ac luce carentia, hoc sub titulo comprehenduntur.

Experientia docet, aegros bubonibus cruciatos facillime gangraena corripi, aut suppuratione maligna, si cum aegrotantibus typhosis, eodem in cubiculo versantur; neque minus bubones in peius mutantur, si aegroti multis cum aliis hominibus, in cubiculis angustis, sordidis, mephiticis vivunt.

3) Constitutio annua. Tempestate frigida et humida, sanatio bubonum semper tarde evenire, contra tempestate serena, sicca et calida, citissime progredi solet. Nimius tamen aestus tam bubonibus recentibus, quam suppurantibus nocet, aut resolutionem impediens, aut suppurationem in peius vertens, aut denique gangraenam adducens.

4) Regimen diaeteticum. Alimenta cruda, difficile digerenda, aut nimis aut parum alentia, imo spirituosa et nimis irritantia nocent, etiam a sorditate et refrigerio accuratissime cavendum est.

5) Vehementes animi motus et perturbationes praecipue si vim deprimentem exserunt, uti moeror, tristitia, anxietas etc. saepissime impediunt, quo minus curatio celeriter progrediatur.

6) Tandem et curatio externa haud conveniens, aut nimis incitans, aut nimis relaxans, et cultri incongrua administratio, hoc sub titulo locum tenent.

Exitus bubonum sunt resolutio, suppuratio, induratio et gangraena, signis sibi peculiaribus intrantes.

Ipsa symptomata suppurationis gangraenae etc. uberius enumerare supervacaneum videtur. Mors etiam interdum finem rei imponit, praecipue, ubi gangraena late diffusa partes nobiles prope sitas corrodit, aut ubi, suppuratio bubonis, malignum vel carcinomatosum colligens characterem, corrosione late propagata, partibus circumdantibus lethale damnum infert. Puris etiam et humorum iactura diuturna, vires aegrotantis exhauriens, febri hecticae ansam praebet, et ita morti ianuas aperit.

§. VIII.

Prognoseos partim iam supra mentionem addidi, non nulla adhuc de ea dicenda supersunt.

In universum, quanto magis aeger cachecticus quanto diutius malo venereo adfectus, usumque mercurii expertus est, tanto diutius sanatio desiderabitur, tanto peiora erunt ulcera, si suppuratio supervenit.

Contra apud homines robustos et iuvenes, nondum diu infectos, nec usum mercurii aut aliorum debilitantium expertos, malum non tam pertinax occurrit.

Ceterum periculo edocti sumus, bubones interdum in singulis hominibus, interdum in omni-

bus qui iis laborant, characterem malignum colligere, absque ulla causa sufficiente. Spatia saepe temporis observata sunt, in quibus omnes bubones in peius vertebantur, remediisque obstabant efficacissimis, praeter optimam, ut videbatur, constitutionem annuam et curationem accuratissimam. Phaenomenon cuius rationem nescimus, verisimillimum tamen videtur, eam in modificatione haud perceptibili constitutionis annuae sitam esse.

Bubones consensuales maxime benigni sunt, prope hos protopathici, quorum tamen sanatio, accidentibus conditionibus malis valde retardari potest.

Bubones deuteropathici plerumque maximum inter omnes temporis spatium ad sanationem exposcunt, interdum cito sanantur, interdum sponte disparent, ita ut nil certi de hac re dici possit.

Quod ad singulas attinet species, in bubonibus phlegmonosis inflammatio vehemens, late diffusa et ad os ileum usque propagata, mali ominis signum est, suppurationis periculum indicat, magnasque devastationes timere nos iubet.

Ubi vehemens cutis intentio, pulsatio in tumore ad summum gradum aucta, rubor valde saturatus, dolores intolerabiles apparuerunt; suppurationem aut gangraenam prohibere difficillimum erit. Haecce syptomata si subitanea subsequitur remissio, gangraena iamiam adest, quae

mox colore furvo aut coeruleo, vesiculis, obnecatione cutis et odore foetido sese manifestat.

Dolor obtusus in fundo tumoris, quem si inflammatio vehemens est, horripilationes comitantur, sensus frigoris et ponderis in tumore, suppurationis prope instantis prodromi sunt.

Quanto maius bubones oedematosi dolent quanto minus inflammati sunt et irritabiles; tanto magis timendum est, ne induratione corripiantur, praecipue ubi aeger vi vitali caret, laxa constitutione praeditus, scrophulosus, aut ad vasorum obstructiones proclivis est.
Ubi vero bubones scirrhosi tuberculosam sibi vindicant formam, ubi doloribus perpetuis, vehementibus lacerantur, ubi rubore subtilissime maculoso, perreptantibus vasis sanguiferis, induuntur; aperitio eorum et exulceratio valde maligna, carcinomatodes imminet. Nonnulla quae de prognosi adhuc dicenda forent infra simul cum curatione explicabuntur.

§. IX.

Curatio bubonum haud difficilis est, ubi malum recte cognovimus et distinximus et resolutio effici potest, ubi vero cum suppuratione pugnam inire coacti sumus, magnarum difficultatum copia nobis obstat.

In bubonibus consensualibus solummodo necesse est, gonorrhoea, aut morbus localis genitalium, qui per sonsensum bubonem excitavit, aptis remediis curetur. Antiphlogistica, antispasmodica, emollientia, et involentia hunc ad finem plerumque sufficiunt. Vehemens incitatio cum evanuit, tum etiam bubo resolvetur, cui, si phlegmonosa gaudet indole, uti plerumque fieri solet, fomentationes frigidas imponere licet. Si forte bubo consensualis formam erysipelatosam, aliamve prae se ferret, iisdem remediis ad eum resolvendum utimur, quae infra uberius enumerantur, ubi de curatione bubonum erysipelatosorum et aliorum agitur.

Suppuratio si supervenisset, quod tamen rarissime accidit, talis bubo uti quaevis innocens exulceratio glandulae curandus esset; praecipue haud nimis cito aperiendus, apertus vero ab aëris impetu tuendus; tamdiu, quam durities in fundo aut in ambitu animadvertitur, digestiva, postea vero exsiccantia et irritantia sunt imponenda.

Aliis remediis nunquam opus est, partim, quia ipsa tam benigna esse solet, ut sine ullis fere medicaminibus sanari possit.

§. X.

Curatio bubonum protopathicorum et deuteropathicorum operam exposcit multo maiorem,

quod proclivitas ad suppurationem iis inest multo fortior. Haec ad suppurationem proclivitas bubonum venereorum, modo maior est, modo minor, nunc ocyus nunc serius sese manifestat, ubicunqne vero fieri poterit vincenda est et resolutio perficienda, quae in bubonibus curandis, semper prima est et gravissima indicatio, si aegrum tuto et iucunde sanare volumus. Multi quidem medici opinioni favent, suppurationem esse praeferendam, ideoque maturantibus efficiendam; probabit tamen exacta perquisitio earum rationum, quae suppurationem praeferre iubent, imo et earum, quibus resolutio commendatur, hanc si fieri potest, semper efficiendam, suppurationem ere, caute vitandam esse. Minime autem adfectare debemus, resolutionem omnibus conditionibus vi cogere, nonnullis enim casibus suppuratio nullo modo prohiberi potest, tum vero si resolutionem efficere pertinaciter tentaremus, eamque vi cogere cuperemus, ut nonnulli praescribunt, *) nil efficeremus, nisi retardationem suppurationis et prolongationem curae.

Exinde patet, bubonem, in quo durante administratione medicaminum resolventium, sup-

*) Dufouart Resolutionem ubicunque efficiendam esse existimat, eamque ubi iamiam suppuratio intravit, hac interrupta, vi adducere vult.

purationis incipientis signa sese manifestant, nec efficacissimis resolventibus cedunt, quam citissime fieri poterit maturantibus ad fluctuationem usque perducendum esse. Liceat nunc rationes quibus suppuratio defenditur, nec non eas, quibus resolutio innititur, pro se singulas enumerare, ut eo melius dilucidari possint.

§. XI.

Primum gravissima inter rationes quibus suppuratio defenditur, notanda venit, dicunt nempe, resolutione miasma venereum in corpus repelli, quod perniciosum, suppuratione autem educi, quod utile habendum. Negari non potest hanc rationem verissimillimam videri, quia veri aliquid inest; revera ope resolutionis pars quaedam miasmatis in corpore retinetur, quae suppuratione educeretur, hisce vero praemissis falsa conclusio est superinstructa.

Ea pars miasmatis, quae resolvendis bubonibus, ut illi dicunt, in corpore retinetur, detrimentum inferre nequit, *) quia mercurium habemus, remedium specificum, cuius ope miasma in ipso corpore deletur et quasi neutrali-

*) Heister Chirurgie.
Eiusd. Unterricht für Wundärzte.
Schwediaur pract, observations a on venereal complaints.

sationi chemicae subiicitur. Haec curandi methodus sine dubio tutior est, quam si incerto ulceris suppurantis auxilio confideremus, cujus de natura nunquam certi esse poterimus. Ceterum resolutioni bubonis lege artis perfectae, repulsionis nomen tribui nequit, quo plerumque significatur, medicum externis tantum usum esse remediis.

Ubi mercurium rationali modo porrigimus, in ipso maximum situm est auxilium, ita ut medicamina externa talia habere possimus, quae solummodo impediant, quo minus symptomata inflammationis augeantur.

Nemo negare potest, ope suppurationis, miasmatis venerei quidquam e corpore educi, quod vero ad totum corpus expurgandum neutiquam sufficit, pus enim quod effluit non ex toto venereum est neque corpus humanum uti vas mortuum evacuari potest, miasma venereum enim semper in eo regeneratur et quaecunque assimilantur venero latente simul inficiuntur. Bubo suppurans ita semper ut ita dicam frustraneam iniret pugnam cum toto organismo.

Hic obiici potest, regenerationem miasmatis venerei in corpore usu mercurii esse impediendam; sed iure quaerimus, quid prodest suppuratio si etiam durante ea mercurius porrigi debet, et quare aeger suppuratione cruciandus est, si insuper etiam mercurio uti debet.

Mercurius vero cuique porrigendus est, qui penitus sanari vult, experientia enim docet morbum venereum nunquam crisi, lysi, aut metastasi, omnino nunquam sola vi medicatrice naturae tolli, sed semper specificum exposcere remedium, unicum quod adhuc novimus est mercurius.

Suppuratio autem non solum non prodest, sed eo detrimentum affert, quod denuo resorptioni miasmatis venerei per vasa lymphatica ansam praebet, ita ut bubo suppurans quasi nova area fiat *) miasmatis venerei. Vasis exhalantibus nempe in superficie ulceris pus viro venereo impraegnatum secernitur, cuius laticis partem vasa resorbentia insugunt, quod, ubicunque pus secernitur, accidit.

Cum vero haec vasa, propter constructionem, partem saniosam atque liquidam puris facilius insugere possint, quam partes crassiores, balsamicas, verisimillimum videtur, eam ob causam, magnam partem miasmatis venerei in bubone secreti resorberi, quia analogia nos docet in liquida puris parte semper perniciosissimas contineri particulas.

*) Conf. Samuel Simmons, auserles. Abhandlung f. pract. Aerzte. XI. 2. 318.
Einsdem. Anmerkungen über die Heilung des Trippers.
Girtanner.

Ceterum si utilitas bubonum suppurantium ad expurgandum corpus a miasmate venereo tanta esset, quanta a quibusdam *) depingitur, et revera quidquam ad morbi venerei sanationem conferret; mirandum esset, cur hucusque nemini in mentem venerit, bubones artificiales excitare. Id vero facillime efficere possemus, glandula lymphatica nempe, axillaris aut inguinalis, solummodo mechanico aut chemico incitamento foret exulceranda, tunc in ea etiam miasmatis venerei quidquam excerneretur, a natura quidem non illuc delatam, sed artificiali incitatione allicitum.

Usus ulcerum artificialium eorumque utilitas in multis morbis iamdudum innotuerunt, hac ratione autem, nullo auctore commendantur, quo probatur, ea ulcera quae natura sponte excitaverat, certo haud mirum ostendisse effectum, ubi enim naturae molimina salutaria observantur, ibi etiam artis auxilio mox imitantur.

---

*) L. Botallus. Theden. maturantia cito imponi suadent, quia resolutioni semper luem universalem succedere credunt.
Plattner (institut. chir.)
Dease (erfahrungsmässige Heilart der Lustseuche) suppurationis ope magnam miasmatis copiam e corpore educi credunt.

Exinde patet, bubonem non crisin aut metastasin esse, a natura ad sanandum malum venereum excitatam: sed potius ut incrementum morbi esse contemplandum. Ita ut in planta, gemma recens erupta signum est incrementi perfectionis, ita bubo signum est multiplicationis miasmatis venerei in corpore.

§. XII.

Alii opinionem proferunt, bubonibus magnam ad suppurationem inesse proclivitatem, eamque sine respectu utilitatis aut detrimenti, esse adiuvandam, naturam enim cogi non posse. Quod proclivitatem ad suppurationem attinet, quae bubonibus tribuitur, conditiones hic maximi sunt momenti; in universum dicendum foret, buboni proclivitatem inesse vehementem et velocem ad inflammationem, quam necessarie suppuratio sequi debet. Proclivitas bubonis ad inflammationem, in continua incitatione, quam miasma venereum in glandulam adfectam exercet, fundata evanescit, simulac apta ratione incitatio removetur, quod optime usu mercurii, praecipue praeparatorum antiphlogisticorum eius, et externis, rei convenientibus, efficitur.

Ceterum haec solummodo de quibusdam bubonum speciebus dici possunt, aliis enim nec ad inflammationem, nec ad suppurationem minima inest proclivitas.

Ponamus vero, bubonibus peculiarem tenden-
am ad suppurationem inesse, quare medicus
anc adiuvare debet, cum utilitati non est, sed
etrimentum potius infert, uti supra probavi-
ius. Quare hic solummodo naturam eiusque
iolimina damnifera adiuvare debemus, cum in
ot aliis casibus tendentiae organismo nocentes
ipprimantur, aut secundum propriam naturam
ollantur.

Si ut hoc utar, cuidam ad haemorrhagias
ispositio inest, haec, ubicunque detrimento est,
ipprimitur, remediisque fortibus oppugnatur;
lem de dispositione naturali ad alias secretiones
: excretiones perniciosas valet. Suppurationem
ubonum perniciosam esse, iam supra rationibus
ounde probavimus, iure igitur inde a principio
ptis remediis est oppugnanda et impedienda et
im solummodo maturanda, cum omnibus medi-
iminibus resolventibus invicta obstet nec ulla
esolutionis spes restet, ne frustraneis experimen-
s sanatio prohibeatur. *)

§. XIII.

Sunt porro nonnulli qui dicant, opera data
l resolvendum bubonem, saepe quidem suppu-

*) Conf. Ad. Murray, auserl. Abh. f. p. Aerzte. V.
1. pag. 101.
Fritze Handb. üb. vener. Krankheiten.

rationem impediri, saepe vero indurationi diuturnae aut plane insanabili glandulae adfectae, ansam praeberi.

Negari non potest, interdum inflammatione glandulae feliciter resoluta, indurationem remanere, id plerumque post violentam resolutionem accidit, quae neglecto usu mercurii, ope fomentationum frigidarum, intempestive, aut ultra modum administratarum, peracta est. Resolutio autem vi peracta eiusque sequelae perniciosae non probant, resolutionem lege artis institutam et bene accomodatam, damniferam esse.

Indurationes, quae post rationalem resolutionem inflammationis in glandula remanent, dispositionem ad stagnationes et obstructiones vasorum adfuisse probant, cuius supra uberius mentionem fecimus. Ubi vero tali dispositioni suppuratio supervenisset, ibi sine dubio ulcus malignum et diuturnum originem cepisset, cuius sanatio permultis difficultatibus commorata, aegrum per longum tempus impedisset, quo minus muneribus civilibus fungeretur, imo magnos excitasset dolores, viresque exhausisset.

Porro quisque fere bubo suppurans cicatricem reliquit, quae plerumque nunquam plane disparet, praecipue vero hoc de bubone maligno foret timendum; plurimi exiguam indolentemque indurationem cicatrici longe praeferunt, quae

suspicione, quam apud alios homines excitat, incommodo esse potest. Contra induratio glandudulae haud facile malam in partem accipi potest, tales enim indurationes apud eos etiam homines reperiuntur, qui nunquam morbo venereo laboraverunt.

Timeret fortasse quis, ne talis induratio relicta temporis quodam spatio praeterlapso scirrhescat aut in ulcus carcinomatosum transeat; qui vero casus rarissime accidit, etiamsi revera accideret, remedia satis efficacia nobis in manibus sunt, ad eum oppugnandum, dum prima adhuc symptomata in medium prodeunt.

Suppurationi faventes porro dicere possent, glandulam tali modo induratam partes prope sitas comprimere et a functionibus impedire, suppuratione igitur potius glandulam esse consumendam, ut haec compressio avertatur. Talis vero compressio eam ob causam oriri nequit, quod glandula proxime sub cute sita est, quae procul dubio extenderetur glandulaeque tumefactae cederet. compressio partium vicinarum etiam non tantum detrimenti inferret, quam suppuratio maligna, diuturna saniosa, corrodens, quae sine dubio partes propositas multo prius deleret, neque remediis optimis statim sanari potest, dum exstirpatio glandulae induratae semper restat adhibenda, si necessitas iubet.

Cl. Astruc *) denique in favorem suppurationis profert, eandemque alii **) etiam profitentur opinionem, illam ab aegro multo facilius tolerari, quod non diu quam resolutio a functione munerum retineat civilium.

Eodem temporis spatio quo bubo, administratis maturantibus ad suppurationem usque perducitur, idem lege artis resolvi potest, nisi impedimenta improvisa obstant, quae maturationem quoque retardare queunt; in utroque casu propter cataplasmata aut fomentationes adhibendas, aeger in cubiculo versari et lecto incubare debet.

Si, ut exemplo utar, quis per octo dies domi versatus esset, et hoc temporis spatio bubo esset resolutus, nunc ab omnibus doloribus aeque ac molestiis liberatus, domum et lectum relinquere posset, nisi reliquae obstarent conditiones, si vero per octo dies bubo esset maturatus, post aperitionem ulceris denuo pathemata aegrotantis augerentur. Aeger fortasse durante suppuratione foris versari posset, singuli passus vero et quaevis corporis motio dolerent, nimia corporis exercitatio inflammationem et incitationem in bubone augeret et sanationem retardaret, quae omnibus im-

---

*) Astruc. traité des maladies veneriennes.

**) Bertrandi Abhandlung von den venerischen Krankheiten.

pedimentis remotis, haud prius quam quatuor hebdomadibus praeterlapsis perficitur. *)

§. XIV.

Rationes quae resolutionem defendunt partim iam supra enumeratae, et ubi necesse fuit, contrariis oppositae sunt, nonnullae vero hic adhuc restant proferendae, de nonnullis quas iam supra protuli, uberius verba facere liceat.

Bubones vehementer inflammati uti iam supra dictum est, facillime gangraenosi fiunt, hoc modo destructione partium vicinarum cito et late propagata, maximum damnum inferre, imo interdum mortem adducere valent, necesse est igitur, ut tam vehemens inflammatio iusto tempore aut avertatur aut mitigetur,

Glandula inflammata etiamsi non proxime a gangraena corripitur, haec etiam tum supervenire potest, cum suppuratio iam per aliquantum temporis adfuit, quo tacto detrimentum haud minoris erit momenti.

---

*) Auctores nonnullos hic nominare, iuvabit, qui suppurationem commendant.
Bernardus Tomitanus (aphrodis. T. II. pag. 133.)
Bilguer (Anweisung zur Ausübung der Wundarzneikunst in Feldlazarethen Cirillo.
John Heward (pract. Bemerkungen über die Lustseuche.)

Bubones suppurantes porro facillime in ulcera phagedaenica, maligna, diuturna, marginibus callosis et crenatis, fundo impuro et furvido praedita transformantur, *) loco puris benigni et balsamici saniem liquidam et corrodentem secernunt, quae ulcus latius extendit, partibusque vicinis periculum minatur. Bubones suppurantes porro saepe charactere induuntur laxo et putrido, qui optimis remediis obstinate resistens, aegrotum doloribus haud mediocribus cruciat, in lecto retinet eiusque vires exedit. Mihi in memoria est, tale ulcus vidisse, quod per tredecim menses apertum manebat, quamquam externe china, myrrha, asa foetida, totusque apparatus antisepticus adhibebatur, mercurialibus internis et externis haud oblitis. Interne primum diversa mercurii praeparata porrecta sunt, cum vero hoc remedium frustra administraretur, ulcusque durante curatione in peius verteretur, neque etiam falso praesupponendum esset, aegrum iamdudum a malo venereo esse liberatum, quod tantam mercurii copiam assumserat, ut pluries salivatione corriperetur; china, acida mineralia et chelidonium sunt praescripta, nec meliorem monstrarunt effectum.

---

*) Bell system of surgery T. V.
Heister Chirurgie. Nürnberg 1752. Eiusd. Unterricht für Wundärzte, eam ob causam resolutionem praeferunt.

Tandem exactissima curatione externa ulcus sanatum est, cicatrix vero permagna et deformis remansit, quam procul dubio ad mortem usque retinebit aeger. Hic neutiquam cachecticus, sed iuvenis robustus antea semper optima valetudine gravisus, nunc primum malo venereo infectus erat. Post sanationem omnibus viribus per diuturnam et profusam suppurationem abreptis, aeger, quamquam per totum mensem roborantia tam diaetetica, quam therapeutica adhibita sunt, tamen spectro similis e nosocomio est dimissus.

Saepissime bubones vidi suppurantes, qui accuratissimae curationi per sex ad decem menses obstabant.

§. XV.

Porro bubones suppurantes et ii praecipue quibus scirrhosa indoles est, saepe characterem colligunt malignum speciemque carcinomatis praebent, corrosione lata propagata partes vicinas delent itaque interdum mortem adducunt. Quod malum artis auxilio aegre vincitur, glandula etiam exstirpari nequit cum iam aliquantum temporis praeteriit. Cura plerumque valde diuturna et dolorifica est, nec sine magnis cicatricibus aegri evadunt. Ubi vero tales bubones iusto tempore resolvuntur, instans periculum praeterit; post resolutionem fortasse exigua remanet induratia, quam si malam indolem colligeret, exstirpare licet.

Durante suppuratione saepe quoque infiltrationes puris et fistulae oriuntur, quae summo studio vitari nequeunt, hae sanationem remorantes, aegrumque impedientes, quo minus muneribus suis fungatur, per sese dolent et curationem doloriferam, v. c. compressiones, iniectiones et incisiones exposcunt. Virum vidisse recordor, qui bubone suppurante cruciatus, retrorsus in lecto recubare coactus erat; pus in telam cellulosam lateris interni lumbi dextri infiltratum est et prope tuberositatem ossis ischii abscessum formavit, qui incisione est apertus; curatio non ante novem menses praeterlapsos finita est.

In alio nuperrime fistulas observavi, inde a bubone suppurante huc et illuc cursum dirigentes quarum longissima unciarum quatuor mensuram exaequabat et usque ad arcum ossium pubis specillo transitum permittebat, ipse arcus carie superficiali iamiam erat adfectus, uti forma inaequalis, materia effluens, oxydatio specilli argentei et dolores probaverunt.

En sequelas suppurationis.

Nec minus in scrotum pus infiltrare se potest, ibique testiculum et funiculum spermaticum corrumpere. Sub fasciam latam etiam pus viam sibi aperire potest, quo facto abscessus lumborum et suarum oriuntur, eo magis periculosi quod plerumque sero animadvertuntur.

Omnia haec mala mercurio plerumque non vincuntur, ceteraque omnia remedia aut nullius sunt utilitatis aut nimis tarde sanationem efficiunt; quam ob causam medico haud licet, suppuratione considerate maturata, aegro periculum adducere, quod omnibus remediis reparari nequit.

Id etiam pro resolutione gravissimum argumentum est, quod experientia docet, bubones non necessarium, sed saepissime accidentale esse pathema morbi syphilitici, utpote qui saepissime causae cuidam occasionali per accidens supervenienti originem debent. Si, ut hoc utar, quis malo venereo adfectus vino abutitur aut Venere, sive nimis corpus exercet, haud raro bubone insuper condonatur, quod vero morbi incrementum non ex ipso morbo sed ex conditionibus externis nocentibus prodiit, quo probatur bubonem non tamquam naturae molimen salutare, sed potius tamquam depravationem accidentalem esse contemplandum, quam celerrime corrigere licet.

Denique adhuc memorandum restat, aegrum suppuratione semper debilitari, quod ubi resolutio perficitur, non accidit; diuturna praecipue et maligna suppuratio vires aegrotantis valde exhaurit; mihi etiam in memoria est, febrem lentam et maximam emaciationem inde originem trahere vidisse.

Ex omnibus his satis elucet, resolutionem ubicunque fieri potest, semper esse efficiendam;

ad ipsam curationem nunc me converto et sub hoc titulo singula remedia resolutionem efficientia amplius enumerabo. *)

§. XVI,

Curationis internae bubonum consensualium iam supra mentio est facta, externa secundum indolem cuiusque bubonis specialem est modificanda iidemque remediis quae in bubonibus venereis laudantur perficitur.

Quod attinet ad curationem internam bubonum protopathicorum, mitior esse potest, quam ea deuteropathicorum, corpus enim usu mercurii nondum insuevit igiturque parvis dosibus et praeparatis mitibus praescriptis finem attingere poterimus, vi forte aeger iam prius malo venereo infectus fuit et hanc ob causam maiores doses sunt necessariae.

---

*) Haud incongruum videtur nonnullos adhuc auctores laudare resolutionem defendentes, quorum mentionem facere, occasio non data est.

Spiering. Haudbuch der inneren und äussern Heilkunde. Leipzig 1796.

Anton v. Störck. Unterricht für Wundärzte. Wien 1776.

Iohn Hunter. Theatrise on the venereal diseases P. V. Ch. IV. p. 270-

Nisbet lines of the theory and practice in venereal diseases.

Aegro convenienter praeparato, i. e. sordibns primarum viarum ubi adsunt ope laxantium aut emeticorum eductis, hydrargyrum oxydulatum nigrum primum porrigere licet, grani quadrans ad granum dimidium, bis per diem sufficit, maioribus dosibus incipere haud probandum videtur, quia non copia mercurii sed accurata eius administratio regiminisque iusta conformatio morbo medentur. Secundum regulas quae in universum de curando malo venereo valent, neque hic omnes repeti queunt, medicus caute circumspicere debet, ne aegro nimis magnam mercurii copiam porrigat, quia eo modo facillime prosperus eventus impeditur et curatio prolongatur.

Si per octo dies circiter tempore matutino et vespertino grani quadrantem dedimus, nec prospera apparuit mutatio, dosi solitae adhuc grani quadrans addendus est, et sic porro.

Hoc remedium, si forte non satis valeret, calomel in usum est vocandum dosique sensim sensimque aucta adhibendum, ut in morbis syphiliticis fieri solet. Grani quadrans principio abunde sufficit, etiam ea de causa parvae doses meliorem praebent effectum, quia salivationem non cient, neque ea superveniente coacti sumus mercurii usum interrumpere.

Hydrargyrum muriaticum mite plerumque ad finiendam curam sufficit, tamen etiam si ne

cessitas cogit, hydrargyrum muriaticum corrosivum porrigere licet. Ceterum irritatio quae huic medicamento plerumque tribuitur haud timenda est, nam tum primum in usum vocatur, cum inflammatio topica iam cessit et forte induratio modo aut tumor frigidus resolvendus superest. Usus hydrargyri muriatici corrosivi etiam eo commendatur, quod hoc remedium non tam facile quam alia praeparata ptyalismum excitat.

Pulveribus ex hydrargyro oxydulato nigro et muriatico miti, nonnulli substantiam absorbentem addere suadent v. c. conchas praeparatas etc. ne effectus eorum impediatur aut mutetur, si acidi aliquid ventriculo inest.

Hydrargyrum sublimatum in forma pilularum tutissime et accuratissime adhiberi potest; quae tamen ex succo liquiritiae aut extracto quodam parandae sunt, ne indigestae excernantur.

Cavendum est ab alimentis irritantibus, adipatis, acidis, spirituosis, aromaticis, crudis; omnia quibus aeger vescitur bene cocta et praeparata esse debent, ne sordes gastricae inde originem capiant, quae curationi obstant. Plethoricis ac robustis regimine antiphlogistico est utendum, debiles et cachecticos paulo uberius nutrire licet; in universum, prodest tam parce quam fieri potest alimenta porrigere, experientia enim docet, hoc facto sanationem multo melius progredi. Cura-

tio antivenerea quam cl. Louvrier praescripsit, huic adsertioni argumentum praebet, in ea enim aegrotantes totum per diem nil nisi mensuram dimidiam iusculi carnium assumunt et plerumque quatuor hebdomadum spatio perfecte sanantur.

Etiam si aegri ne granum quidem mercurii assumunt et solummodo quam maxime possunt cibis abstinent, malum venereum decrescit, quod saepenumero in iis vidi qui ad curationem antivenerеam cl. Rustii, laxantibus, balneis et abstinentia ciborum praeparati sunt.

Curationem valde adiuvat, si aeger cubiculo non exit et si fieri potest in lecto versatur; ibi enim tutus est ab refrigerio, cuius noxam nemo nescit, et semper aequali caloris gradu gaudet; quies etiam et situs horizontalis buboni resolvendo favent.

Omnes potentiae nocentes externae, iam supra memoratae, sunt removendae, ut aër corruptus, sorditas, cubicula angusta et humida, frigus et omnia quae in morbis syphiliticis nocent.

Pro potu ordinario aut cerevisiam secundam, levem, bene fermentatam aut infusum florum chamomillae, sambuci aut decoctum graminis, sassaparillae, bardanae, caricis arenariae, ligni guaiaci, altheae, liquiritiae etc. porrigere licet.

Curatione tali modo instituta prosperum eventum iure sperare possumus, praecipue in

diaeta parca et regimine calido salus; neque raro mihi contigit eo modo citissime ad finem usque pervenire.

§. XVII.

Quod attinet ad curationem bubonum deuteropathicorum, eadem est si aeger nuperrime malum concepit, ubi per aliquantum temporis iam alia pathemata adfuerunt, quibus bubo supervenit, validioribus praeparatis utimur maioresque doses dispensamus.

Donec stadium inflammatorium praeterierit, calomel adhiberi cautio iubet, post hac ad mercurium sublimatum corrosivum refugium patet, nisi hydrargyrum muriaticum mite satis efficax videtur.

Principia secundum quas in ceteris morbi syphilitici formis mercurialia adhibentur etiam hic sunt sequenda; cetera mercurii praeparata non in usum vocanda sunt quod aut nimis heroicum aut nimis incertum praebent effectum aut in singulis modo pathematibus salutifera sunt, uti liquor hydrargyri nitrici in exanthematibus venereis.

Summum ubi malignitatis gradum ascendit bubo, nec mitior cura sanationem efficere valet, inunctiones mercuriales in promptu sunt quibus tutum inest auxilium praesertim cum secundum cl. Rustii praecepta adhibentur.

Exempta hacce curandi methodo, salivatio ubicunque vitanda est, ea enim vires aegrotantis frustra exhauriuntur et cura retardatur tamquam crysin habere nequimus, nam in valentibus quoque usum mercurii sequitur, praeterea haud mediocres excitat dolores et molestias; itaque eo sosolummodo prodest, quod nobis indicat mercurium in corpore vires exseruisse. Huius rei vero tum quoque certiores reddimur, cum malum locale absque ulla suppressione externa, in melius vertitur, quod certo gratissimum est argumentum. Salivationis prodromi ubi apparent, statim mercurii usus pro tempore omittendus et emeticum aut laxans, prout conditionis id ferunt porrigendum est, ut eruptio ptyalismi prohibeatur aut iamiam eruptus sistatur, praeterea gargarismata ex decocto herbae salviae, ruthae, cort. quercus, chinae, salicis etc. cum tinct. myrrhae, alumine, gummi kino, sanguine draconis etc. adhibere licet. Excoriationes oleo camphorato illinuntur. Ad usum internum commendantur: sulphur, kali sulphuratum, amara, aromatica et adstringentia, imprimis china. Omnibus vero hisce remediis non opus est, licet mercurium caute adhibeamus et ubi prima signa ptyalismi apparent, statim omittamus. Post cessationem salivationis mercurium denuo in usum vocamus, nisi aeger sanatus est.

Praeter ptyalismum nimia debilitas aegri aut diarrhoea usum mercurii interdum vetat; in utroque casu, ne haecce intervalla inutilia praetereant, pone roborantia aliaque indicata, ea adhuc medicamina in usum vocare licet, quibus, quamquam non mercurialia sint, vis antisyphilitica tribuitur, v. c. guaiacum, chelidonium, tinct. antisyphilitica Besnardii et acida mineralia cum amaris.

Regimen diaeteticum in bubonibus deutheropathicis commendandum, ab eo non differt, quod in bubonibus protopathicis laudatum est.

§. XVIII.

Quamdiu mercurius sit porrigendus, haud certo statui potest; in bubonibus primariis, usque ad resolutionem dosi aucta, post hac vero dosi pariter minuta per aliquantum temporis adhuc eum adhibendum esse constat; nisi tunc denuo symptomata venerea apparent, curatio est finienda.

Si cum bubone simul ulcus aut aliud quoddam pathema syphiliticum adest, et diutius quam ille perseverat, nullis, nisi blandissimis externis huic admotis, ad perfectam sanationem usque et aliquantum temporis post eam, tum vero dosi sensim minuta, mercurius est praescribendus.

Bubones suppurantes ultra cicatrisationem usque mercurio sunt tractandi; ubi vero, quod haud raro accidere solet, durante usu mercurii, ulcus in eodem remanet statu, aut in peius vertitur, mercurium pro tempore relinquere, spatio quodam praeterlapso alia praeparata tentare debemus, fortiora modo, modo mitiora salutem ferunt, saepe inunctiones modicae insuper additae finem rei imponunt. Saepe aeger viribus caret, saepe curatio chirurgica incongrua, aut potentiae nocentes externae, sanationem impediunt; hasce difficultates suis singulas remediis et praeceptis vincimus. Haud inepte interdum praesupponere licet, neutralisationem chemicam miasmatis venerei esse finitam bubonemque superesse insontem; tunc conveniens curatio chirurgica, roborantibus ubi necesse est adiuta, sufficiet. Nec raro cachexia mercurialis obest, quae emeticis laxantibus et antidotis, mercurii prae ceteris sulphure et hepate sulphuris vincitur.

Roborantia, tam durante cura, quam finita, saepissime in usum vocare coacti sumus.

In universum iuvabit, ex curatione dimissos per quoddam temporis spatium adhuc observare, facillime enim denuo symptomata apparent, promptum artis auxilium exposcentia. Ii vero praecipue sunt observandi, qui hydrargyro muriatico corrosivo usi sunt, huic enim remedio vis

inest, qua pathemata venerea subito supprimuntur, quae postea eo vehementius erumpunt.

§. XIX.

Depicta curatione interna ad chirurgicam nunc transire liceat, cui maximum inest momenti in resolvendis tam, quam in cicatrisandis bubonibus, ea quidem interdum et medicamina interna complectuntur, quae tamen propter finem cui inserviunt, hic haud inepte enumerabuntur.

Primum de bubonibus phlegmonosis.

In iis sanguinem mittere nonnulli suadent, si aeger plethoricus et robustus, pulsus plenus est et durus; raro tamen hoc consilium sequi, coacti erimus, plerumque enim symptomata tantam non profitentur vehementiam, neque fas est, aegro inutiliter vires detrahere, quibus postea maxime eget. Gangraena imminens interdum venam secare iubet, licet ex vera phlegmone sthenica prodierit; tum quoque saepissime sanguinis evacuationes topicae nobis satisfaciunt. Sanguinis detractiones locales cucurbitulis appositis perficere haud commendandum est, hoc modo enim sanguinis congestio ad glandulam inflammatam nimis augeretur et ita potius damnum inferremus quam auxilium. Itaque hirudinibus uti tutius est, sed his quoque glandulam haud nimis prope circumdare debemus, ne congestio

sanguinis illuc augeatur; inflammatione vehementissima, late propagata, et ubi in gangraenam transire minatur, in usum eos vocamus, de numero nil certi statui potest.

Emetica quoque ad resolutionem adiuvandam commendantur *) quibus vero in bubonibus phlegmonosis haud utendum videtur, nisus enim vehemens, qui vomitum comitatur, nimia incitatione damnum inferre posset. Haud exigui vero momenti emetica post aliquantum temporis erunt, ubi inflammatio iamiam evanuit et induratio aut intumescentia torpida remansit.

Talibus conditionibus, universa conquassatione systematis nervosi tamquam vasculosi, ad resolutionem perficiendam, haud mediocrem exercent vim.

Laxantia durante stadio inflammatorio, meliorem praestant effectum licet non calida et drastica sint sed frigida potius et mitia; salutarem efficiunt derivationem, tamen cavendum est ne vires aegrotantis nimis exhauriantur, neque diarrhoea habitualis exinde propullulet. Eo etiam utilitatem inferunt, quod salivationem prohibent. Obstructiones alvi resolutioni semper obstant.

---

*) John Hunter (in theatrise on the venereal diseases, P. V. Ch. IV. p. 270.

Praesertim vero in bubonibus phlegmonosis resolvendis, utendum est fomentationibus ex aqua frigida paratis, quibus aliquantum aceti aut aluminis addere, aut quas secundum praecepta Schmuckeri componere licet; glacies etiam si prostat, in usum vocari potest, nec mediocrem ostendit efficaciam. A Goulardio etiam aqua saturnina diluta commendatur. Glacies diminuta, panno linteo simplici aut cystidi involuta imponitur, totiesque liquescit renovatur. Liquidis panni sexies vel decies plicati imbuuntur totiesque calescere coeperunt buboni denuo imponuntur.

Ubi periculum in mora, noctu quoque fomentationes applicare necesse est, alias aegri tempore nocturno vacant. Eandem fomentationem diu in bubone sinere nocet, quia calefacta in modum cataplasmatis vim exserit; emplastra quoque saturnina vel mercurialia noctu imponere damnum infert, quia calorem augent et ita congestioni favent.

Medici militares gallici ad resolutionem bubonum cuiusque generis celeriter efficiendam remedio primum usi sunt, quod plerumque viginti quatuor horis praeterlapsis vim exercere dicitur; est applicatio eximii gradus caloris sicci, quae semel aut saepius reiteratur, prout conditiones iubent.

Aut ferrum candens, planum et magnitudinem bubonis excedens, tam prope bubonem quam sine combustione fieri potest, tenetur, aut lapis candefactus panno involutus buboni imponitur; utramque bis terve tamdiu administratur, quam aeger tolerare potest, nonnunquam saepius reiterare debemus.

Hoc remedio in bubonibus phlegmonosis uti non suaderem, gangraena et suppuratio procul dubio supervenirent, contra in bubonibus oedematosis et scirrhosis ad discutiendas intumescentias frigidas, torpidas, admovendas indurationes haud contemnendam exercet vim, dubium tamen provocat effectum. Ipse nonnunquam, talibus conditionibus, hocce usus sum remedio, bubones, adiuvantibus inunctionibus mercurialibus et volatilibus, brevi interdum sunt resoluti, alio suppuratione correpti, alii vesiculis obtecti sunt, quales post combustionem oriri solent; in omnibus vero casibus subitanea processus vitalis commutatio sese ostendit. Haud abhorrentes de hac re observationes a fautore summa reverendo accepi, cui saepissime occasio fuit, hacce remedium in usum vocandi.

Alio remedio nuper in magnis nosocomiis uti coeperunt ad resolvendos bubones, sine respectu peculiaris eorum indolis, sunt cataplasmata acria sic dicta. Cepe tria, haud mediocris maguitudinis,

exacte concisa, cum libra dimidia saponis nigri in lebete fictili assantur, haec massa cum liquefacta est, unciae duae vel tres pulveris seminum synapeos, et placentae seminum lini pulveratae quantum ad consistentiam cataplasmatis sufficit, agitando adduntur. Haec massa, tanta quantitate ut digiti volumen exaequet, supra pannum inducitur et ita buboni imponitur, ut super peripheriam eius ubique emineat, duabus horis praeterlapsis iterum atque iterum renovatur et sic porro; noctu emplastrum mercuriale aut emplastrum conii tegendo buboni inservit.

Hoc remedium in omnibus bubonum speciebus, etiam in fluctuantibus resolutionem efficere dicitur, in phlegmonosis vero recens ortis non adhibendum est, quia hi frigore melius resolvuntur.

Postquam hoc remedium per aliquot dies administratum est, circumferentia bubonis rubescit et dolet, dolores si eximii fiunt, maior quantitas placentae seminum lini est addenda, synapeos copiam quoque minuere, aut per aliquantum temporis solam placentam, humidam, calefactam imponere licet.

Interdum perfecta resolutio tum demum efficitur, cum cataplasma tam acre redditum est, ut in superficie bubonis et partium vicinarum pustulas aut suppurationem excitet superficialem. Quantum synapeos addendum sit, secundum bubonis

indolem praescribendum est, torpida maiorem exposcit copiam; quo acrius vero cataplasma redditur, eo maiores secum trahit molestias.

Haecce cataplasmata, bubonibus phlegmonosis recentibus, aut valde inflammatis imposita, valde dubium praebent effectum; interdum quidem bubones resolvuntur, saepius in malignam abeunt suppurationem aut indurescunt. Ubi vero durante applicatione fomentationum frigidarum bubo induruit, praemissis, per aliquot dies, cataplasmatibus emollientibus, simplicibus, ex placenta seminum lini, cataplasmatum acrium ope, saepissime resolutionem feliciter peragimus. Bubones etiam in quibus prima symptomata suppurationis iamiam apparuerunt, qui iam mollescunt aut fluctuare incipiunt, cataplasmatibus acribus resolvuntur.

Gangraenam fomentationes frigidae, sanguinis detractiones universales et locales avertunt, vinum etiam et acetum ubi periculum imminet in usum vocare licet, imo totum medicaminum apparatum quem chirurgia ad vitandam gangraenam commendat.

§. XX.

Bubones erysipelatosi sic dicti in medio positi sunt, phlegmonosos inter et oedematosos, itaque, prout modo huc modo illuc magis appropinquant, curatio eorum variat. Phlegmonosae indolis si

quidquam profitentur, fomentationes frigidae et hirudines in promptu sunt; ubi vero oedematosam prae se ferunt speciem, inunctiones volatiles, linimentum ammoniatum aut saponato-camphoratum et alia huiuscemodi in perinaeum et latus internum femorum sunt applicandae, in ipsum vero bubonem, species aromaticae cum camphora calefactae, imponendae. Emetica hic tutius porrigere possumus, laxantia multo minus prosunt. Usus ferri candentis et cataplasmatum acrium dubius est, nobis enim timendum est ne suppuratio superveniat cutanea, unde maligna ac diuturna prodirent ulcera. Praecipuum ad vitandam suppurationem remedium in summa quiete corporis et animi situm est, quare lectum relinquere nocebit.

§. XXI.

In bubonibus oedematosis nec universales nec topicae sanguinis missiones indicatae sunt, emeticis vero summum inest auxilium, concussione enim totius corporis quam efficiunt, lympha stagnans movetur, cutisque functio acceleratur; nisi aeger nimis debilitatus est, pluries ea porrigere iuvabit.

Externe linimenta volatilia, quibus paululum unguenti hydrargyri cinerei admixtum est, sunt adhibenda; calefacta buboni ipso, praesertim vero lateri interno femorum et perinaeo, manu calida

infricentur. Cavendum est, ne haec remedia camphora aut ammonio immodice admixtis, nimis acria fiant, quod ita facillime inflammationem cutis hic valde irritabilis, aut exanthema pustulosum provocant, quibus frictionum ipsarum imo et aliorum medicaminum usus ex toto impeditur.

Praeterea calor siccus, sacellis aromaticis, aut pannis calefactis admotus, hic magni est momenti.

Cataplasmata acria hic iure laudantur, etsi interdum cutem offendunt, tamen resolutionem perficiunt ubi alia remedia frustra adhibita sunt.

Cauta quoque ferri candentis administratio hic commendanda venit, utpote quam prosperrimus haud raro sequitur eventus; in universum medicamina, fibrem relaxatam fortiter incitantia pariterque lympham stagnantem solventia summum tenent locum.

Emplastra parum ferunt auxilii, noctu ad aequalem caloris gradum servandum imponere licet.

§. XXII.

In bubonibus scirrhosis quoque emetica salutem ferunt, quae interdum saepius porrigere iuvat; laxantia haud minoris sunt momenti licet calidioribus utamur.

Hirudinibus plerumque non egemus, nonnunquam vero glandula indurata statu inflammatorio serius corripitur tum in usum vocantur.

Unguentum hydrargyri cinerei infricare iuvat, irritabilitas quaedam et ad inflammationem proclivitas, doloribus solito fortioribus et continentioribus, sese manifestant; extractum opii quoque vel hyoscyami addere licet. Contra, si torpidam bubo agnoscit indolem ungento mercuriali linimenta volatilia sunt addenda; haec remedia quinquies vel sexies quotidie eodem modo ut in bubonibus oedematosis sunt applicanda.

Emplastra quoque hic non ultimum tenent locum, aut pro se singula, aut simul cum frictionibus adhibentur; emplastrum conii, emplastrum mercuriale at emplastrum resolvens Schmuckeri nominanda veniunt. Praeter haec compositiones quasdam ab auctoribus commendatas tradere liceat.

Rp. G. ammoniaci drach. Sex.
Asae foetidae drach. duas.
Sap. venet. drach. unam.
solve in
Spir. vini. rect. q. s.
leni calore inspissa ad consistentiam emplastri.

Rp. Empl. conii.
—— hydrarg.
—— litharg. comp.
Malaxentur et inducantur supra alutam.

Praemissis per aliquot dies cataplasmatibus simplicibus ex placenta seminum lini, sive specie-

bus ad cataplasma paratis; cataplasmata acria vim exercent salutarem et plerumque resolutionem perfectam efficiunt.

Ferrum candens, ubi torpida indoles summum attigit gradum eo iuvat, quod incitationem quandam ponit et resorptionem inunctionum accelerat.

Fomentationes frigidae in bubonibus scirrhosis nocent.

Usum externum horum medicaminum et internum mercurii, si resolutio nulla, aut non perfecta sequitur, nec proclivitas ad suppurationem vel exulcerationem adest, glandula indurata sibi ipsi est relinquenda, aut emplastro quodam miti tegenda.

§. XXIII.

Si durante administratione methodus resolventis nihil omnius symptomata suppurationis incipientis animadvertuntur neque etiam cataplasmata acria instans periculum avertere valuerunt; statim omissis resolventibus, maturantia in usum sunt vocanda.

Antequam de maturäntibus stricte sic dictis verba faciam, liceat methodns cuiusdam mentionem addere, quae resolutionem inter et suppurationem quasi finem tenet, de usu vesicatorii loquor, quem nuperrimo experti sumus.

Vesicatorium satis amplae magnitudinis ut totum bubonem tegat, imponimus et tamdiu in eo relinquimus, donec pustulae satis magnae exstiterint; quae dissecantur et unguentis suppurationem cientibus obligantur, ita ut in dies alternatim v. c. unguentum basilicum et unguentum cantharidum imponentur.

Usus me docuit, vesicatorium plerumque bis terve esse renovandum, antequam pustulae oriantur.

Post aliquot dies satis copiosa oritur suppuratio superficialis, pus vero quod intus iam secretum erat, evanescit, duarumque vel trium hebdomadum spatio praeterlapso omnis intumescentia et durities disparet. Tum per octo dies adhuc suppuratio sustinetur tandemque unguènto saturnino sanatur, nulla cicatrix remanet, aegerque satis cito evadit.

Vesicatorium in iis praecipue bubonibus salutiferum est, qui intus iam suppuratione correpti sunt et mollescere coeperunt, etiamsi fluctuationis vestigia iamiam apparuerunt, auxilium ab eo sperandum. Ubi vero fluctuatio iamiam exculta est, ubi pus proxime sub cute apparet, ubi cutis flavescit, non amplius in usum vocari debet. Bubones etiam scirrhosi, torpidi, nec ad resolutionem nec ad suppurationem proclivitatem ostendentes,

ubi resolventibus resistunt, vesicatorio sunt tegendi, qua ratione saepissime feliciter sanantur.

Cum vero haud semper liceat, suppurationi tali modo limites ponere, quia aegri interdum sero auxilium poscunt, aut vehementibus doloribus terrentur, qui usu vesicatorii provocantur; alia adhuc remedia nobis in manibus esse debent, maturantia scilicet stricte sic dicta.

In his cataplasmata calida primum locum tenent, simplicissima ex placenta seminum lini cum aqua cocta parantur, species pro cataplasmate quoque aut species resolventes ex aqua aut lacte coctas imponere licet, imo pultem ex mica panis, lacte, croco et butyro.

Haec vero cataplasmata nunquam nimis calida sunt imponenda, quia sic facillime cutem male adficiunt et in ea inflammationem erysipelatosam aut pustulas lymphaticas excitant, quae sanationem bubonis suppurantis impediunt.

Pari modo nunquam cataplasmata nimis crassia et voluminosa imponi debent, ne incrementum et aperitionem bubonis ope ponderis absoluti impediant.

Noctu emplastrum maturans quoddam buboni imponitur ut empl. de gummi ammoniaco, diachylon cum gummatibus, cereum, de gummi galbano etc. pultem quoque ex melle et farina secalina aut lomento paratam imponere licet.

Haec abunde sufficiunt, alii praeterea fermentum, synapismos, cepe assata aliaque magis, minus incitantia commendant, quibus rarissime tantum egemus.

Bubo suppurans aut sponte aut artis auxilio aperitur; spontaneam aperitionem raro exspectamus, quia pure diu in bubone retento, infilitrationes damniferae oriri queunt, aegerque mediocribus cruciatur doloribus, qui post aperitionem plerumque cessant. Tandem ea de causa aperitionem spontaneam respuimus, quod ea semper integumenta bubonis cutanea valde corrumpuntur, nec uno, sed plerumque pluribus locis diabrosis fit.

Si bubo sponte apertus est, nobis solummodo providendum est, ne apertura nimis parva sit, ne pus retineatur, ne integumenta nimis corrumpantur; quam ob causam dilatationem fere semper instituimus.

Cum in bubone mollities et fluctuatio universalis sese ostendunt, nulla durities superest et cutis flavescere coepit, artis auxilio eum aperire licet. Hunc ad finem incisio et caustica in promptu sunt, illam tamen praeferimus, quia citius effici potest, dolorem exiguum tantum excitat, nec integumenta bubonis corrumpit.

Manu sinistra tumor est comprimendus ut cutis magis intendatur et partes suppositae a cultro tueantur. Incisionem secundum corporis lon-

gitudinem facimus, quia talis facilius clauditur; satis longa esse debet, ut pus sine impedimento effluere possit.

Bubonem secundum maximam longitudinem dissecare, incisionem cruciatam facere, aut integumenta penitus tollere, nocet, quia hoc modo aëri aditus aperitur, cuius accessu omnia vulnera, praecipue vero ulcera glandulosa corrumpuntur. Saepe quoque cicatricis deformitas ab inconveniente aperitione bubonis originem ducit.

Nonnullis in consuetudine est iam tum aperire bubones, cum adhuc solummodo altior inflammationis gradus apparuit, iique totam glandulam in duas partes aequales cultro diffindunt, sanguinis iacturae, quae inde oritur, salutem inesse putantes, celeremque sperantes cicatrisationem.

Quis est, qui neget, tali curatione quemvis bubonem in peius verti, aegroque frustra ingentem parari dolorem?

Causticis plerumque utimur, si aeger incisionem timet; in elatiorem bubonis locum ubi cutis tenuissima videtur, ope emplastri fenestrati, applicantur, argento nitrico fuso potissimum utimur, quia kali causticum siccum et alia facillime diffluunt, cutemque late corrodunt; globulum quoque ex emplastro cantharidum paratum, imo parvulum vesicatorium imponere licet. Saepis-

sime crustam, quam caustica efficiunt, cultro perforare coacti sumus.

§. XXIV.

Post aperitionem bubonis, leni compressione pus expellimus, tamen non ex toto, ne, hiante apertura, superficies abscessus aëri sit exposita: tum linea carpta caute imponimus, ne apertura denuo claudatur, totum ulcus denique plumaceolo, unguento quodam miti illito, tegitur, ut ab aëre tueatur.

Aliquot dierum spatio, apertura sponte dilatatur, ita ut ad fundum bubonis pervenire possimus, quem linteis subtilissime carptis, siccis tegimus et supra plumaceolum cum unguento saturnino imponimus.

Si forte durities quaedam superesset, unguento basilici aut balsamo Frahmii utimur, interdum etiam cataplasmatibus emollientibus auxilium inest; granulationem nimis luxuriantem causticum aut balsamus aegyptiacus domant. Quatuor aut sex hebdomadum spatio bubo benignus hisce remediis plerumque sanatur.

Si vero ulcus putridum atque immundum se praebeat, decocto chinae, salicis, quercus, ulmi et aliorum, cum Tinctura aut liquamine myrrhae utimur, praeterea quoque alumen hisce decoctis addimus aut pulveratum inspergimus, imo solu-

tiones argenti nitrici, hydrargyri muriatici corrosivi, Kali caustici cum aut sine opio in usum vocamus; inter unguenta balsamus Frahmii, balsamus aegyptiacus et prae ceteris unguentum hydrargyri praecipitati rubri salutem ferunt.

Lapidem infernalem admovere, hydrargyrum praecipitatum rubrum siccum inspergere et incisiones facere interdum magni est momenti.

Hisce medicaminibus per aliquot dies cataplasmata emollientia interponere saepe maximae fuit utilitatis.

Vinum camphoratum, vinum cum china coctum et pulvis chinae cum camphora, asa foetida et aliis, demum nominanda veniunt.

Suppurationem nimis abundam, liquidam et saniosam internis roborantibus si necesse est, exsiccantibus oppugnamus, cortex chinae, quercus, salicis aut in decocto aut in pulvere adhibentur, fomentationes frigidae, solutiones lapidis infernalis et hydrargyri muriatici haud minoris sunt utilitatis. Vinum quoque rubrum in usum vocare licet, saturninis vero abstinendum est, quia facillime resorbentur.

Bubones interdum inaequalem praebent superficiem, marginibus callosis et circumvolutis, fundo duro tuberculoso et immundo instructi sunt, late hiantes corrodentem emittunt saniem, carcinomatis fere speciem simulant.

Ex bubonibus scirrhosis praecipue, si aperiuntur, talia prodeunt ulcera, interdum statum quendam irritabilem, interdum torpidum, agnoscentia.

Hirudinibus appositis status inflammatorius vincitur, cucurbitulis etiam sanguinem detrahere licet.

Ceterum inunctiones mercuriales, cataplasmata ex radicibus dauci parata, fomentationes narcoticae, ex decocto capitum papaveris, herbae hyoscyami, foliorum belladonnae etc. liquor hydrargyri muriatici corrosivi, hydrargyri praecipitatum rubrum, unguentum hydrargyrum praecipitati rubri, caustica, incisiones, limaces *) totusque apparatus antisepticus aeque ac resolvens in promtu sunt, quorum uberior expositio et indagatio ad meam schedulam non pertinere videtur.

Callositates marginum et fundi causticis, incisionibus et combustione vincimus, quam cl. Rustius commendat. Ferro triquetro candente, quale in arthrocace adhibetur, bubonem tangit, et postquam crusta, combustione procreata, evanuit medicamina supra enumerata meliorem praestant effectum.

---

*) Ritter usum limacum (limax ruber vel niger) primum commendavit secundum eius praecepta, plures limaces viventes in mortario lapideo tamdiu teruntur et contunduntur, donec massa pultacea fiat, quam, per linteum pressam, ulceri ope penicilli inducimus.

Fistulae callosae, incisionibus, iniectionibus aquae ferventis et causticorum, compressione et ustione sinantur.

In universum huiuscemodi bubones haud facile sanantur, perque longum tempus plerumque aegrum cruciant; medicamina supra enumerata interdum longa serie omnia frustra tentantur, ita ut a primo iterum incipere coacti simus; nec raro, tum idem, quod antea frustra adhibitum fuerat medicamen, maximum infert salutis. Modo cataplasmatum emollientium, modo ferri candentis usus, aliis viam sternunt medicaminibus.
Gangraena aut sphacelus, si bubonem suppurantem corripiunt, indicationibus universalibus absolutis, efficacissimis remediis topicis sine mora est utendum. Ut de longa serie medicaminum antisepticorum taceam; his solummodo fomentationes vinoso - aromaticas, decoctum chinae vinosum, acetum aromaticum et camphoratum, pulverem chinae, carbonum tiliae, myrrhae, asae foet., cascarillae et corticis quercus, nec non camphoram, ammonium muriaticum, spiritum vini et species aromaticas nominare liceat, quibus incisiones lege artis institutae viam sternunt.

Adhuc memorandum restat, ad cicatrisationem bubonis incipientem finiendam, caustica permultum valere. Durante cicatrisatione aeger caveat, ne nimis diu et saepe pronus sedeat,

inde enim saepissime intensio cutis molestissima ortum ducit. Sartorem vidi, cui in inguine dextro bubo suppurabat, et qui, ut vitam sustentaret, pronus in mensa sedens, per totas dies laborabat; postquam vero cicatrisatio erat finita, plane erectus stare nequivit, quia cutis in regione inguinali vehementer intendebatur et valde dolebat. Plures per menses hoc malo laboravit.

Cicatrices deformes et intentio cutis dolorifera remanentes remediis externis emollientibus et resolventibus curantur, inunctiones oleosae, frictiones cum unguento hydrargyri cinereo, emplastra mercurialia et gummosa prae ceteris vero balnea calida et vaporum calidorum usus ad hasce sequelas tollendas maximi sunt momenti. Iisdem medicaminibus sedulo adhibitis, interdum etiam indurationes glandularum chronicae resolvuntur.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego Eduardus Samel, Berolini natus V. a. Non. Mai. A MDCCLXXXXVII, a patre primis litterarum elementis imbutus, tum vero in Gymnasio Fridericiano edoctus sum. Prima ex classe huius gymnasii rite dimissus, anno MDCCCXIII in seminarium medico-chirurgicum militare transii, ibique per triennium, medicinae, chirurgiae, nec non arti obstetriciae operam dedi. Eo tempore, docente Beato Kiesewetter, logicen, ethicen et psychologiam, Ill. Knape, osteologiam, splanchnologiam, syndesmologiam, anatomiam practicam et medicinam forensem, Ill. Rudolphi botanicen, anatomiam, physiologiam, anatomiam comparatam et encyclopaediam medicam, Cel. Turte, physicen, chemiam et pharmaciam, Cel. Hufelandio iun., semiologiam, pathologiam generalem et therapiam specialem, Ill. de Koenen, physiologiam

et materiam medicam, Ill, Kluge chirurgiam generalem et artem obstetriciam, Ill. Hornio pathologiam specialem et therapiam practicam, Ill. Graefe chirurgiam specialem et akiurgiam, Cel. Mursinna cursum operationum chirurgicarum et Ill, Hufelandio sen. therapiam specialem didici.

Studiis ita obsolutis, per decem menses in nosocomio caritatis Berolinensi, chirurgi ammanuensi munere functus, occasione usus sum, duce Ill. Hornio medicinam practicam exercendi. Tum vero iussu fautoris summe colendi, Illustr. Goercke medicorum militarium ordinis adscriptus, Culmamque ad Vistulam sitam, missus sum, ut ibi in schola militari puerorum nobilium sanitati providerem.

Inde Berolinum redux, studiis deuno me consecravi et nunc tentamine et examine rigoroso rite peractis, doctoris medicinae et chirurgiae gradum ambio.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Ad calorem animalem procreandum, nervi magis quam sanguis conferunt.

II.

In curatione syphiliticorum ubicunque fieri potest, salivatio est vitanda.

III.

Hypochondria morbus mentis potius quam corporis.

VI.

Pessima in praxi methodus est, quae in morbis cum vera debilitate iunctis, nunquam venam secare iubet.